



DISSERTATIO III.

PHILOSOPHIA IVRIS OSTENSA
IN DOCTRINA DE OBLIGATIONIBVS ET
ACTIONIBVS. CVM APPENDICE VINDI-
CIARVM PRO DOMINIO CONTRA
SERVITVTEM.

CAPVT I.

PHILOSOPHIA DE OBLIGATIONIBVS
ET ACTIONIBVS.

§. I.

*Adamus sum-
ma libertate
erat praedi-
tus.* Postquam Deus ter optimus maximus, tamquam ens liberrimum, Adamum ex liberrima uoluntate ad imaginem suam condidisset, nullum est dubium, quin summa libertate praeditus fuerit Adamus, quae in hominem cadere potest, tum quod nullum haberet superiorem ex sui similibus, cui obtemperaret, tum quod nullum haberet parem, cui ad officium exhibendum esset obstrictus.

§. II.

*Neque tamen
absque ulla
fuit societate.* Interim cum nec sic tamen primus homo absque ulla societate fuerit, (et quomodo esse potuisset, cum in societatis appetitu potissima eius essentiae pars absoluitur?) intelligo societatem cum sanctissimo creatore suo, inde patet, ab initio statim hanc summam Adami libertatem certo respectu fuisse restrictam.

§. III.

*Nulla socie-
tas sine obli-
gatione.* Nulla quippe societas est, quae sine obligatione intelligi possit. Obligatio uero libertati uinculum aliquod iniicit.

§. IIII.

*Societas est
uel aequalis,
uel inaequa-
lis.* Sicut autem societas alia est sine inaequalitate, ut inter fratres, ciues, amicos, foederatos, alia inaequalis, καὶ ὑπεροχὴν Aristoteli, ut inter patrem et liberos, dominum et seruum, regem et subditos, Deum et homines, ita iustum aliud est ex aequo inter se uiuentium, aliud eius, qui regit, et qui regitur, qua tales sunt, quorum hoc ius rectorium, illud aequatorium recte, ni fallor, uocabimus. uerba sunt magni Grotii de iur. bell. et pac. lib. I. cap. 1. §. 3 n. 2. Nos paucis mutatis, quae ipse de duplici iusto *) dixit, ad duplicem obligationem applicare poterimus, quarum alia est in societate inaequali inter superiorem et inferiorem, alia in aequali inter pares.

§. V.

*) Immo si explicationem Boecleri ad hunc Grotii locum p. 83. sequimur, eadem est mens Grotii nobiscum, quia hic per iustum nihil aliud intelligitur, quam debitum: debitum autem et obligatio sunt synonyma.